









1672.

1. Coccejus, Henricus: Oratio de lege Salica, habita
Haidelbergae, quum ordinariam fac. jur. et juris gentium
professionem ... susciperetur.
- 29, 6^{ae} Coccejus, Henricus: De doli, culpa et negligentiae
praestationibus in quolibet negotio. 3 Exmpl.
- 39, 6, 6^{ae}, c Coccejus, Henricus: De computatione graduum cognati-
onis 4 Exmpl. 1700, 1704 & 1714

4. Rybenius, Halvericus: De mandatis sine clausula.

1673.

1. Coccejus, Henricus: De servitutibus naturalibus.
2. Coccejus, Henricus: De austreyis (vulgo) Austräger.
3. Coccejus, Henricus: De servitutibus naturalibus
4. Coccejus, Henricus: De jure postliminii
5. Francus, Georgius: De studiorum noxa.

6. Francus, Georgius: De sterilitate mulierum.

1674.

1^a Coccijus, Henricus: De summa potestate. 2^o exempl.

1707-1734.

2. Coccijus, Henricus: Disputatio p. n. et g. ordin.:

si plus sit in veritate, quam in opinione vel contra

2^a Coccijus, Henricus: De conditione et die.

3. Francus, Georgius: De alapis sive Calaphis

4. Reichenbach, Christianus Ernestus: De obligatione heredis
ex relicto defuncti

1675.

1. Coccijus, Henricus: De iustitia bellorum.

2. Coccijus, Henricus: De eodem et diverso

3. Coccijus, Henricus: De jure et facto.

4. Coccijus, Henricus: De vi consuetudinis in principatu

5. Coccejus, Henricus: De rebus necesse facultates

6. Engelbrecht, Georgius: De operis rusticorum . . . Ed. nova
1741.

1676.

1st Coccejus, Henricus: De libertate status regii 2 Sampl.

1676 & 1714

2. Coccejus, Henricus: De jure generationis.

3. Coccejus, Henricus: Ita hactenus necessaria sit
ad transferentiam dominium.

4. Glöcknerus, Georgius Gislebertus: A Syvas Pygros.

s. Calentus Minervae.

1677.

1st Coccejus, Henricus: De arbitrio boni viri 2 Sampl.

1677 & 1708.

2^o 3 Coccejus, Henricus: Leviathan. 2 Sampl. 1704 & 1712.

4. Glöckner, Georgius Hieronymus: De ostio rei litigiosae
3. Reichenbach, Christianus Inuentus: De arrestis
6. Textor, Joh. Wolfgangus: De sequestro

1674, 4

9

21

DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA
DE

**OBLIGATIONE
HEREDIS EX DELICTO
DEFUNCTI**

QUAM
Auxiliante Divino Numine

AUTHORITATE

NOBILISSIMI JCTORUM ORDINIS
IN

ELECTORALI PALATINA AN-
TIQUISSIMA
SUB PRÆSIDIO

Nobilissimi, Consultissimiq; Viri

DN. CHRISTIANI ERNESTI

Reichenbachs /

U. J. D. & Pand. Prof. P. Ord.

PRO LICENTIA

Summos in Utroq; Jure Honores consequendi

Publico placidoque Eruditorum Examine in Auditorio

Jctorum d. 19. Febr. 1674.

submitter

Jodocus Wilhelmus **Simmer**

Hassus.

o:~

HEIDELBERGÆ,

Typis **Wilhelmi Walteri, Acad. Typogr.**



P. 427



SERENISSIMO AC PRÆCELSISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

C A R O L O I.

HASSIÆ LANDGRAVIO, PRINCIPI
HERSFELDIÆ, COMITI IN CAT-
TIMELIBOCO, DECIA, ZIE-
GENHAINA, NIDDA ET
SCHAUMBURGO, &c.

SECULI HUIUS ET PROSAPIÆ SUÆ ORNAMENTO
AUGUSTISSIMO

SALUTIS ET TRANQUILLITATIS PUBLICÆ
ATLANTI AUSPICATISSIMO

PATRI PATRIÆ EXOPTATISSIMO ET
BENIGNISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO SUO
CLEMENTISSIMO

Pagellas hæc Inaugurales omnesvè conatus in devo-
tissimæ subjectionis ac fidelissimi Obsequii mo-
numentum cum humilima sui Commendatio-
ne consecrat

SERENISSIMÆ IPSIUS CELSITUDINIS

Subjectissimus Cliens

JODOCUS WILHELMUS Simmer.



Introitus

NE, quod paucis fieri potest, per plu-
ra fiat, nec multæ ambages circui-
tusq; inextricabiles præ compendioso
& dilucido tranctandi modo mihi
contra mentem Imperatoris in l. 7.

§. 5. C. de Curat. fur. arridere videantur, Dispu-
tationem meam Inauguralem ita contraxi, ut ex
tribus saltem juris principiis iisdemque notoriis
& veritatis evidentissima omnia ferè, quæ cir-
ca obligationes heredum ex defunctorum deli-
ctis in dubium & controversiam trahi solent,
decidi queant, de quibus, ut L. B. benignè judi-
cet, obnixè peto.

I.

SIt autem mihi i. principium vel prima regula, *neminem
Scum alterius damno & injuria locupletari debere*, quæ lex
non civilis saltem sed naturalis imò divina, l. 14. ff. de cond.
ind. l. 8. §. 22. ff. de transact. & passim. Quo cum convenit quod
de sce-

ex scelere quaesitis nemo debeat locupletari. l. un. in fin. C. ex del. defuncti. l. 9. in fin. ff. de jure fisci. l. 5. ff. de Calumn.

II.

Secunda regula : *Ibi pœnam esse debere, ubi delictum est l. sancimus. 22. C. pœn.* hoc est, ut Imp. Arcadius & Honorius hoc dicto loco interpretantur : *peccata suos teneant auctores, ne ulterius progrediatur metus quam reperiatur delictum.* Pœna namque ut illam describit Grotius *lib. 2. de jure bell. & pac. c. 20. num. 1.* est malum passionis quod infligitur ob malum actionis, ubi ergo hoc, malum actionis scil. deficit, & illud deficiat necesse est; Quo cum convenit, quod idem tradit Grotius *lib. 2. c. 21. §. 12.* obligationem ad pœnam ex merito oriri; Meritum autem esse personale, quippe ex voluntate ortum habens, qua nihil est magis nobis proprium; Aliam rationem habet J. C. in *l. 20. ff. de pœn.*

III.

Tertia regula : *Heredem succedere ut in bona defuncti, ita & illius contractus, & horum ratione defuncti personam representare. l. 49. ff. de O & A. l. 9. ff. de probat.* Heres, inquit Grotius *d. c. 21. §. 19.* personam defuncti refert, non in meritis quæ sunt mere personalia, sed in bonis, quibus ut cohærent ea, quæ alicui debentur ex ipsa rerum inæqualitate, simul cum dominio fuit introductum.

IV.

Nunc ad rem & quæstionem nostram : An & quatenus heredes ex delictis defunctorum, obligentur? ubi sciendum, conveniri heredes ex delicto defuncti, vel ad damnum, quod defunctus dedit, reparandum, pro quo proditæ sunt actiones rei persecutoriæ: Aut ad pœnam, quæ defunctus, si in vivis mansisset, fuisset plectendus & coercendus, sustinendam & solvendam, pro qua introductæ sunt actiones pœnales: Aut ad utrumque, ad reparatio-

nem

nem sc. damni & pœnam, quo casu competunt actiones mixtę : Aut deniq; accusationes ob commissa crimina contra heredes defuncti moventur, vel Magistratus ex officio procedit, & quod scelere defuncti quæsitum est, licet citra alterius privati jacturam, ipsius delinquentis heredibus extorquere intendit.

V.

Actiones rei persecutorias ex delicto defuncti quod concernit, licet heres non succedat indelictum defuncti, per *reg. 2. th. 2.* si quid tamen ad ipsum ex delicto defuncti pervenerit, ad illius restitutionem aut æstimationem compellendus est, *ex reg. 1. thes. 1.* ne scil. locupletior fiat cum damno alterius. Non ergo in solidum, sed quatenus locupletior factus, seu qt. ad ipsum pervenit, de Jure Civili tenetur. Et hoc volunt *l. 26. ff. de dol. d. l. un. C. ex del. defunct. in quantum & c. l. 24. ff. de R. I. l. 1. §. ult. l. 3. pr. de vi & vi arm.* & Dd. communiter Schneidvv. *ad §. non autem vers. aliquando. num. 3. l. de perp. & temp. act.* Molina *de l. & l. tom. 4. tract. 3. disput. 43. num. 2.* Carpzov. *part. 4. Const. 12. def. 9. num. 2. & lib. 3. Respons. 38. num. 9.* Hartm. Pistor. *lib. 1. quest. 27. num. 2.* Bach. *de action. Disput. 4. thes. 21.* & complures alii quos allegant. Dissentit cum Carolo Molinaeo Covarr. *lib. 3. variar. resolut. c. 3. num. 7. per § 9. in fin. l. de L. Aquil. & l. si pro 7. §. 2. ff. de condict. furt.*

VI.

Sed quid, si non ipsa res turpiter quæsita ad heredes transferit? Sufficit pretium aut aliud commodum & ita locupletiolem hereditatem ad heredem pervenisse, illumque ita factum locupletiolem *per reg. 2. vid. l. 26. ff. de dol. mal.* Succedit enim pretium vel aliud commodum in locum rei *l. 22. ff. de pet. hered. l. 18. quod met. caus.* Sufficit etiam semel factum fuisse heredem locupletiolem, licet postea rem aut

lucrum deperdat *d. l. 18.* Sufficit, si vel momento ad ipsum pervenerit ex dolo defuncti *l. 127. de R. I.* Sufficit ad primum seu proximum delinquentis heredem pervenisse illumque factum esse locupletiozem, ad hoc, ut contra illius heredem, seu heredis heredem detur actio *l. 17. ff. quod met. caus.* Quoniam enim primus delinquentis heres quatenus locupletior factus est, ad restitutionem fuit obligatus, ideo in hanc obligationem succedit ipsius heres *per reg. 3. d. l. 17. quod met. caus. verbis quoniam suscepit hereditariam obligationem.* Sufficit deniq; pervenire potuisse rem seu lucrum ad heredem, dolo autem ipsius factum, quominus pervenerit *l. 27. ff. de dolo.* Sicut enim qui dolo possidere desit, adhuc pro possessore habetur *l. 27 § 3. l. 36. l. 52. de R. V.* ita & ille, qui acquirere potuit, dolo autem & in præjudicium tertii acquirere noluit, pro possessore merito habendus.

VII.

Hæc autem sententia, quod scilicet heres ex delicto defuncti non teneatur in solidum, sed quantum ex delicto ad ipsum pervenit; Limitatur (1) si lis cum defuncto fuerit contestata, quo casu in solidum tenetur, *per reg. 3.* ubi dictum, quod heres in contractus defuncti succedat, per litis autem contestationem quasi contrahitur, & novatur prior obligatio ex delicto, mutaturque in eam quæ est ex quasi contractu, adeo ut lite contestata actio non amplius sit ex maleficio, sed ex quasi contractu *l. 3. §. 11. ff. de pecul. l. 29. de Novat. Carpz. lib. 3 respons. 28. n. 25.* Quod si reus usus fuerit super fugis & calumniis ad differendam litis contestationem, perinde, ac si lis contestata fuisset, actio in heredes competit, modo actor in mora non fuerit, sed fecerit quicquid potuerit, ut litis contestatio intercedat. *Hartm. Pistor. d. quest. 27. num. 7. & 8. Thoming. decis. 24. num. 4. & seq. Brunnem. ad l. un. C. ex del. defunct.*

VIII.

Secundò limitatur in conditione furtiva, in qua non pro parte, quæ pervenit, sed in solidum tenetur heres, si solus sit, vel pro ea parte, pro qua heres est, si plures heredes fuerint, *l. 9. ff. de condict. furt. §. ult. l. de obligat. qua ex del. nasc.* Cujus limitationis rationem in singulari odio furum, quod allegatur §. 14. *Inst. de act.* & continuata mora quam fur rem non restituens committere videtur, Dd. ponere solent, Bartol, *ad d. l. 9. Franzk. h. t. num. 8. Struv. Exerc. 18. th. 54.*

IX.

Sed Quæritur: An hodie furis ad laqueum damnati & ita suspensi, vel etiam ante supplicium mortui heredes actione rei persecutoria adhuc conveniri queant? Et quamquam Carpz. *Jurispr. forens. part. 4. constit. 32. def. 23. & praxi crim. part. 2. quest. 80. num. 16. & seqq.* Inter casus, quibus res furtiva adhuc exstat, & quibus consumpta, distinguat, atque prioribus casibus rei quidem vindicationem contra furis heredes domino concedat, posterioribus verò actionem ad consequendam æstimationem rerum furtivarum, jam tum consumptarum contra heredes Domino deneget, eò, quod impiissimum pariter, ut ipse loquitur, durissimum & crudelitati proximum sit, reum ultra poenam mortis damna quoq; resarcire teneri: Contrariam tamen sententiam veriore esse putamus, etiam actionem ad æstimationem rei consumptæ contra furis hæredes Domino concedendam esse arbitantes, *per reg. 1. th. 1. addatur l. 7. §. 2. l. 8. pr. l. 14. §. 2. ff. de condict. furt.* ex quibus textibus constat, etiam perempta & consumpta re furtiva ad æstimationem seu pretium agi posse. Accedit, quod duæ actiones, quarum una criminalis est, & ad poenam, altera civilis & ad rei persecutionem, & ita utraque ad alium & peculiarem finem tendit, se invicem
non

non consumant per expressum text. in l. un. C. quando Civ. act. crim. prejud. Neq; ergo Dominus sine culpa sua bonis suis eorumque æstimatione privandus, & quid ad ipsum, & ad resarcitionem damni sui facit, quod fur jam patibulo sit affixus, imprimis, si dominus non criminaliter, sed civiliter saltem ad rei suæ restitutionem, ejusdemque consumptæ pretium egerit, magistratus verò ex officio, ne delicta impunita maneant, ad mortis pœnam processerit. vid. Finckel-daus. obs. 59. Richter. decis. 96. num. 114. ubi testatur, Jctos Lipsienses & Wittenbergenses ita respondisse, Wann gleich der Dieb solchen Diebstall gestehet/oder dessen überführet/ und zum Strang verurtheilet werden solte / daß er also mit dem Leben bezahlen müste / daher etliche Rechtsgelehrten der Meinung/ daß der Dieb oder dessen Erben den Diebstall oder dessen Werth zu restituiren nicht verpflichtet. Dannoeh aber und dieweil sowohl in gemeinen beschriebenen Rechten/als der Peinlichen Halsgerichts-Ordnung / dem Eygenthumbs Herren / die ihme entwante Stücke / und da dieselben nicht mehr vorhanden / den werth derselben von dem Diebe / oder dessen Erben / zu condiciren nachgelassen/ solches auch in Land-üblichen Sächsischen Rechten nicht auffgehoben: So ist ewrer Clienten/ bevorab / da er wieder den Dieb nicht peinlich / sondern zu erlangung des seinigen bürgerlichen geklaget/ vnd also die Gerichte ex officio zu bestraffung des Übels / verfahren / auß dessen Verlassenschafft sich zu erholen/vnbenommen/von Rechtswegen.

X.

Cæterum ab ea Juris Civ. dispositione & plurimorum interpretū sententia, qua nempe heredes defuncti delinquentis saltem in id, quod ad ipsos pervenit, & si nihil ad ipsos pervenerit, ad nihil etiam illos teneri, asseritur. per th. 5. & l. 23. §. 8. ff. ad Aq. ibiq; DD. divortium fecerunt Pontifices in Jure Canonico heredes ad quodvis damnum à defuncto datum,

datum, licet nihil ad ipsos pervenerit, secundum vires hereditarias seu facultates defuncti resarciendum condemnantes, c. ult. x. de sepult. cap. in literis s. x. de raptor. Quò faciunt, quæ hac de re scribit Molina de iust. & jure tom. 4. tr. 3. disp. 43. n. 3. *Universim*, quando culpa defuncti damnum alicui in rebus externis injustè est datum, neq; defunctus illud compensavit, heredes illius naturali jure, atq; in conscientia foro, tenentur illud restituere ei, qui tale damnum est passus, & eo defuncto, heredibus seu successoribus illius, juxta vires tamen hereditatis. Atq; esto lis ea de re contestata non fuerit cum defuncto, de Jure Canonico conceditur actio, tam damnum id passo, quàm heredibus illius, adversus heredes ejus, qui id damnum intulit, ut juxta vires hereditatis id damnum compensent. Eadem actio concedi hodie inter Christianos in foro seculari debet, etiam si nullum novum jus ea de re condatur, condi tamen deberet, ut res omnibus esset perspicua ac cognita, cessarentq; ea de re opiniones, atq; exonerarentur conscientia, & justitia administraretur. Confer. idem Molina tract. 2. Disp. 697. num. 34. Et quamvis Panorm. ad d. cap. ult. de sepult. Juris Canonici dispositionem ad eum casum detorqueat, quo defunctus decedens cum signis contritionis promisit & injunxit damni à se dati compensationem, & Brunnem. Comment. ad Cod. tit. ex del. defunct. imperium nostrum hoc jure uti neget. Prior tamen hoc nomine refutatur à Covarr. lib. 3. var. resol. cap. 3. num. 7. Perior verò sententiam suam ipse mutasse vel clarius se expressisse videtur, dum in Comment. ad ff. ad d. l. 23. §. 8. scribit: *quicquid sit, omnino juxta æquitatem juris Canonici actionem ad damni illati reparationem dandam esse, & in conscientia obligari heredes, & sic secundum jus CC. præsertim in summis tribunalibus judicandum esse existimo. Sicut in facultate nostra in causa civitatis alicujus contra personam Illustris filium illustrem responsum memini, quam in rem etiam*

B allegat

allegat Mev. *part. 5. decis. 39.* Barbof. *ad l. 15. n.º 139. & 146. de judic.* Confer. Treutl. *vol. 1. Diss. 18. th. 10 lit. g. ibiq.* Bachov. Sutholt. *Dissert. 16. thes. 30.* Cypf. *Regn. cens. belg. ad d. l. 23. §. 8 & disp. ad ff. ad dict. l. 103.* Schnob. *disp. 7. th.* qui omnes actionem contra heredes pro modo seu quantitate damni à defuncto illati concedunt.

XI.

Actiones ex delictis pœnales quod attinet, vel Civiles illæ sunt, quibus agimus ad pœnam nobis applicandam, aut Criminales quibus intendimus pœnam sanguinariam & corporis afflictivam, vel pœnam pecuniariam fisco solvendam.

XII.

Quoad priores actiones scilicet pœnales Civiles ex reg. 2. th. 2. inferimus quidem, illas contra heredes non esse dandas add. §. 1. *l. de perpet. & temp. act. l. 38. l. III. §. 1. de R. I.* quod si verò lis contestata fuerit cum delinquente, etiam has pœnales ad heredes transire constat per regulam 3. th. 3. & th. 7. *add. l. 26. ff. de O. & A. l. 139. de R. I. §. 1. vers. pœnales a. l. de perp. & temp. act.* Ant. Gomez. *var. resol. tom. 3. c. 1. n. 84.* Hartpr. *ad d. §. n. 6.* Carpz. *lib. 3. resp. 38. n. 24.*

XIII.

Quoad actiones criminales verò & accusationes ad supplicia, pœnam corporis afflictivam, relegationem, pœnamque fisco solvendam tendentes sciendum, illas regulariter in heredes non transire, quamvis lite defuncto motâ & cum ipso contestata *per regulam 2. th. 2.* Unusquisq; enim ex suo admisso sorti subjiciendus, nec alieni criminis successor constituendus, *l. 26. ff. de pœn.* neque etiam litis contestatio in criminalibus hunc effectum, ut in Civilibus, habet, nec habere debet Gomez *d. c. 1. n. 83.* Schneidvv. *ad d. §. 1. n. 4. vers. quamobrem,* Struv. *Exerc. 46. th. 86,* Carpzov. *d. resp.*

d. resp. 38. n. 23. Sed expressè & clarè deciditur *in l. 2. ff. de publ. jud.* defuncto eo, qui reus fuit criminis, pœnam esse extinctam. Item *l. 3. & t. t. C. si reus vel accus. mortuus fuerit.* Ant. Gomez. *d. c. 1. n. 78.* Julius Clar. *pract. Crim. qu. 51. n. 12.* add. Grotius. *lib. 2. de iure belli & pac. c. 21. n. 12 & seqq.* Jacob. Mæstert. *de iustitia leg. Rom. lib. 2. dub. 62.* ubi simul docent, virtutes & vitia parentum ne quidem liberis imputari, nec hos propter illorum crimina pœnas luere debere. Ad varia exempla & textus obstantes, quos ex Sacro Codice nonnulli allegant, satis respondent Grotius d. loco, & alii quos allegat Struv. *dicta th. 38.*

XIV.

Quod si tamen non solum accusatio contra delinquentem vivum mota, sed etiam condemnatio ad pœnam pecuniariam fisco solvendam secuta fuerit, illaque in rem iudicatam transferit, tunc & post mortem delinquentis ipsius heredes ad pœnam solvendam tenentur, *per reg. 3. th. 3.* Non enim hoc casu origo iudicii spectanda, sed ipsa iudicati velut obligatio, cum in iudicio ita ut in stipulatione contrahatur *l. 3. §. ii. de pecul.* In obligationes verò ex contractu heres succedit *per d. reg. 3. add. l. 2. ff. de accus. l. ult. C. si reus vel accus. mort.* Gomez. *d. c. 1. n. 82.* Julius Clar. *d. quest. 51. n. 14.* Carpz. *prax. crim. qu. 131. n. 7.* Brunnem. *ad l. 1. C. si reus vel accus. mort.*

XV.

Diximus præcedenti thesi 13. actiones criminales & pœnas *regulariter* non transire in heredes, sed morte delinquentis exspirare. Excipiunt enim DD. crimina quædam, ex quibus etiam adversus heredes agi potest ad pœnam & ademptionem bonorum, quæ à defuncto tenent, qualia sunt crimen hereseos *l. 4. C. de hered. l. 4. C. de Apost.* crimen repetundarum, de residuis, & peculatus *l. ult. ff. ad L. Jul. pecul.* ubi ratio, quod scil. in his quæstio principalis ablatæ

latae pecuniae moveatur. Magis ergo videtur locus regulae r. th. 1. & videntur haec judicia sapere naturam actionum rei persecutoriarum. Crimen Autochiriae ex conscientia criminis commissum *l. ult. §. 3. de bon. eor. qui ante sent.* Sed vide *P. H. D. art. 135.* Crimen Laesae Majestatis. *d. l. 20. de accus. l. 5. C. ad L. Jul. Maj.* Quibus addunt omne delictum in quod ipso jure & facto amissio bonorum statuta, *Gom. d. cap. 1. n. 80. Carpz. d. respons. 38. n. 15. Clarus quest. 51. n. 4.* Sed ita etiam rei persecutoria magis quam poenalia sunt haec judicia. Sic fraudati vectigalis crimen ad heredem ejus, qui fraudem contraxit, commissi ratione transmittitur, *l. 8. de publ. & vect.* quoniam dominum rei, ex qua vectigal non solum, statim desinit ejus esse qui crimen contraxit, dominiumq; ejus vectigali acquiritur, ut ita non possit non commissi persecutio sicut adversus quemlibet possessorem, ita enim adversus heredem competere *l. 14 ff. de publ. & vect.* idem procedere arbitramur, si lege aut statuto cautum, ut bona ob crimen defraudatae collectae, *wann die Güter nicht recht verschäzet oder versteuret werden /* ipso jure in commissum cadant. Nam & hoc casu bonorum commissorum persecutionem contra heredes competere paritas rationis docet. vid. hac de re *Klock. de contrib. c. 19. n. 541. & seqq. Manz. decis. Palat quest. 75.* ubi de casu extra statutum agit, *Wesenb. part. 7. cons. 336. n. 65.*

XVI.

Quaecumq; etiam sit crimen aut delictum, quo lucrum turpe heredibus quaesitum veluti, si artibus Magicis Thesaurus inventus, vid. *Klock. de Aëratio l. 2. c. 117. n. 28.* fisco contra heredes persecutio competit per reg. 1.

XVII.

Actiones mixtas quod attinet, cum partim poenales, partim rei persecutoriae sint, facile ex praecedentibus colligi poterit, quatenus & in quantum contra heredes competant, nempe ut qt. poenales sunt, non transeant in heredes per thes. 12. qt. rei persecutoriae, quantum ad heredes pervenit de Jure Civ. per th. 5. de Jure Can. vid. th. 12.

F I N I S.

ULB Halle

3

003 487 296



50

V517





9

1674, 4

21

DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA

DE

OBLIGATIONE
HEREDIS EX DELICTO
DEFUNCTI

QUAM

Auxiliante Divino Numine

AUTHORITATE

NOBILISSIMI JCTORUM ORDINIS

IN

ELECTORALI PALATINA AN-

TICUISSIMA

SUB PRÆSIDIO

Nobilissimi, Consultissimiq; Viri

DN. CHRISTIANI ERNESTI

Reichenbachs /

U.J.D. & Pand Prof. P. Ord.

PRO LICENTIA

Summos in Utroq; Jure Honores consequendi

Publico placidoque Eruditorum Examine in Auditorio

Jctorum d. 19. Febr. 1674.

submittet

Jodocus Wilhelmus Simmer

Hassus.

HEIDELBERGÆ,

Typis Wilhelmi Walteri, Acad. Typogr.



P. 427

